

tomo IV. Chesnli pag. 764. » Hæc et plura Mabillonius in notis brevioribus ad eandem epistolam. Hæc per transennam.

344. Huc etiam, ut alia a sancto et communi Patre gesta pro pace sancienda prosequamur, pertinet epistola ad Joslenum Suessionensem episcopum, quam Bernardus solus, injuriæ acceptæ immemor, vel potius ideo amantior, quia memor..., uti, loquitur Manricus num. 10 scripsit. Est ordine 225 apud Mabillonium. Equis vero tot conatum piolum juxta ac strenuorum fructus? Laudatus Annalium concinnator. « Nil obtentum, inquit num. 11, apud regem per litteras... Ergo hoc anno, piaculo insigni, ad Victoriacum, Vitriacum alli dicunt, quod oppidum ditionis Theobaldi erat, rex primum muros, mox ecclesiam ipsam, in quam ferme oppidani omnes confugerant, incendio vastat, sacra, profana, viros, feminas, puberes, et impuberes comburit. Mille et trecentæ animæ interiire, plures alii numerant, quæ sanctitate loci velut munitæ, salutem ex religione præstolabantur. Tunc demum rex penitentia sera correptus plorasse dicitur, sed non adhuc peccatum emendaturus. De his Robertus Siegeberti continuator, ad hunc annum: *Ludovicus rex Vitriacum castrum comitis Theobaldi capit: ubi igne admoto ecclesia incensa, et in ea mille trecentæ animæ diversi sexus et ætatis igne consumptæ sunt. Super quo rex Ludovicus misericordia motus plorasse dicitur, et hac de causa peregrinationem Hierosolymitanam aggressus, a quibusdam existimatur.*

345. « Cujus, ut credo, ait Manricus numer. 12, verborum occasione Paulus Æmilii tempora confundens, Bernardum Patrem ascitum a rege tradit, clementiam Dei per ipsum, quasi jam præneret, imploratur. » Pauli Æmilii verba in Ludovico Juniore hæc profert: « Qui intronissus, et benignissime a rege susceptus, cum ejus fletum conspiceret, causamque doloris didicisset: Hæ (ait) lacrymæ nisi cito exarescant, extinguere possunt Vitoriacensis incendii memoriam: tantum adde illis constantiam roburque, et, ne sit velut muliebris ploratus, viriles ac vere regios animos gere. Antequam læsi numinis ira in te se armet, quas templo arisque intulisti faces, in templorum hostes, barbaramque religionem converte. » Cætera, quæ pluribus prosequitur Æmilii, non transcribit ex eo Manricus, sed rem ita ab ipso tractari insinuat, « quasi Bernardus Ludovicum hoc ipso anno atque hac occasione ad Hierosolymitanam expeditionem hortatus fuerit. Verum hæc tribus ut minimum annis interjectis longe distantia, atque alterum sub Innocentio, alterum sub Eugenio, mediis duobus aliis Pontificibus, brevis licet ætatis, contingentia, sine causa in historia confunduntur. Potuit prioris seeleris memoria regem impellere: potuit et a Bernardo commemorari, etiamsi ante biennium patratum foret. Et Ludovicus adhuc Theobaldo discors, nec illi pacandus nisi post annum, ut suo etiam

A loco... commemorabimus. » Haetenus annalista Cisterciensis, qui, dum in Paulo Æmilio corrigit rationem temporis, ansam nobis dat notandi aliquid de anno 1143, cui barbariam Victoriaci patratam a rege Ludovico Juniore adaptat.

346. Pagius in Critica Baroniana ad annum 1141, num. 3, scribens de dissidio inter Innocentium II et Ludovicum VII Francorum regem, hæc narrat num. 4, e Guillelmi Nangii Chronico ad annum 1142. « Rex concitavit omnes fere proceres suos, ut una cum eo guerram inferrent comiti Theobaldo. Tum ad annum 1143, cepit rex Vitriacum, oppidum comitis Theobaldi, ubi admoto igne incensa est ecclesia, et in ea 1300 homines diversi sexus et ætatis periire. » Sed continuo animadvertit laudatus Pagius, in Chronicis tamen Gemblacensi et Catalaunensi Vitriacum anno 1142 dici incensum fuisse: quorum notationem temporis amplectitur ad annum 1143, num. 4, ubi, relato statu misero ecclesiæ Gallicanæ, » basilica tamen, inquit, castri Vitriaci non hoc anno, ut refert Baronius num. 6, ex pseudo-Roberto de Monte, sed anno 1142, incensa, ut anno 1141, ostendimus. » Eumdem pseudo-Robertum superius adhibuit Manricus: qui etiamsi Nangium habeat pro se in anno, quem signat 1143, duo tamen alia dicta Chronica contra se habet.

347. Alter vero Robertus de Monte, cujus Accessiones atque Appendix germana ad Siebertum, ab Acherio vulgata sunt post Guiberti abbatis de Novigento Opera, Lutetiæ Parisiorum anno 1651, excusa, tradit ista ad annum 1141, pag. 762: « Rex Francorum Ludovicus afflixit comitem Tebaldum, et vastavit terram suam, maxime in Campania, ubi combussit castellum optimum, Vitrevium scilicet: ubi multitudo maxima diversi sexus hominum et ætatis concremati sunt. » Ita alter Robertus, qui vexationibus a Ludovico adversus Theobaldum motis anno 1141, quo hunc ab illo infestatum § 50, diximus ex Annalibus Cisterciensibus, Victoriacensis castri combustionem adjunxit per prolepsin, uti suspicamus (nisi malis pro anno 1141 legere 1142, cum alio codice, qui indicatur in notula marginali apud Acherium pag. 760 et proxime sequente), alter, ut iterum dicamus, Robertus de Monte, isque genuinus: de quo consules observationem apud laudatum Acherium pag. 715. Oudin in Commentario de Scriptoribus ecclesiasticis tomo II, a colum. 1625, varia de isto auctore collegit; inter alia autem est illud in rem nostram: « Chronicon suum ab anno 1112, ubi Siebertus desierat, ad annum 1182 produxit. Appendix autem ad Siebertum, quæ inter illustres Germaniæ scriptores edita est, alterius auctoris maxima ex parte est, ab anno nimirum 1110 ad annum 1155. Germanam autem appendicem ad Sieberti Chronicon a Roberto de Torrinneo, uti etiam vocatur, conscriptam, ex autographo monasterii sancti Michaelis de Monte, et ejusdem accessiones ad Sie-

bertum, » etc., « edidit vir doctissimus Lucas Dacherius, » supra a nobis indicatus. Verum ut notationes hujusmodi nos abducant a filo nostro historico, discordes hosce principes Ludovicum regem et Theobaldum comitem opera S. Bernardi in gratiam esse reductos, dicimus infra ad annum 1144; nunc vero cum Manrico pergimus, qui ita prosequitur suam materiem cap. 2, anni prædicti 1143.

348. « Mœrebat sanctus Pater hæc mala publica, cum subito privata etiam expertus, unde minus timebat, dolori dolor, et tristitia tristitiæ supperadditur. Amissa, ipso ignaro, gratia Innocentii, quam tot laboribus, tot obsequiis promerisset. Ivonis cardinalis legati bona in causa, distributa pauperibus, quæ pontifici forent reservanda, et distributio imputata Bernardo duplici titulo: quod distributor designatus in testamento, et quod pauperum causæ promotor vel ultroneus se ipsum ingessisset. Adfuerant extreme laboranti duo abbates, per quos, Bernardo adjuncto, legata bona in pauperum transirent possessionem: et adiere uterque Claramvallem, Bernardum, ut par erat, requisituri; sed sancto in pacis negotiis occupato, nec invento, ne testamentum diutius morarentur, quæ Ivo jusserat, soli peregerunt. Difficile Innocentio visum est, inconsulto Bernardo patratum quiddam: et erat in ea causa suspectus sanctus, propria, quia pauperum, aut propriis præferenda. Jam vero gratia utcumque semel amissa, quæ hominum plerumque conditio est, quæ ante placuerant, infensa esse cœperunt. Nihil fere in Ecclesia agi sine Bernardo, atque ejus frequentibus epistolis intercessionibusque vix unicum pontificem sufficere, qui tamen universæ Ecclesiæ datus non posset uni viro morem gerere: contineret se Abbas intra cœnobium, contineret vel saltem intra Galliam, et esset aliquid, quod non perageretur ejus arbitrio... Sic qui olim firmandæ sibi tiaræ in omnes mundi plagas Bernardo usus, postquam firmaverat, damnat quod elegit, et, qui pro se rogaturum sollicitabat, non patitur rogantem sibi pro aliis.

349. « Hæc de Pontificis in ipsum indignatione ubi accepit Bernardus, apologeticam, ut ad annum 1143 Baronius ait, ad eum scripsit epistolam, qua suam causam defendens, et potenter excusans, ostendit se nihil in eo peccasse, ut ejus indignationem commereretur. » Novissima hæc est, quam sanctus Pater ad Innocentium PP. scripsit epistola, ordine 218, quæ, tametsi alibi excusa legi possit, hic tamen etiam recusa relegi meretur, nonnullis brevitate causa rescissis: Putabam, inquit sanctus vir, me aliquando aliquid vel modicum esse; sed nunc, ut sentio, prorsus ad nihilum redactus sum, dum nescivi. Nec enim me dixerim omnino nihilum tunc fuisse, cum oculi domini mei super puerum suum essent, et aures ejus ad preces meas... Modo autem me merito non modicum dico, sed nihilum, quoniam ab heri et nudius tertius avertit faciem suam a me. Cur hoc? Quid peccavi?

A Multum fateor, si pecunia cardinalis Ivonis bonæ memoriæ meo arbitrio distributa fuit, et non ad nutum ipsius. Non sum tam hebes, ut ignorem Ecclesiæ esse, quidquid ille rerum suarum non derit.

350. « Sed jam audite simpliciter veritatem... Quando homo exiit hominem, absens eram, imo et valde remotus. Audivi autem ab his, qui adfuerunt, quod ipse fecerit suum testamentum; et quod fecit, fecit et scribit: et de rebus suis quæ voluit, quibus voluit, ipse divisit: quod residuum fuit, duobus abbatibus assistentibus tunc sibi, et mihi pariter, qui absens eram, dividendum commisit, eo quod nobis nota essent loca pauperiora sanctorum. Porro abbates illi domum venientes, et non inveniens me (detinebar enim tunc temporis ex vestro mandato pacis quærendæ negotiis), nihilominus pecuniam, sicut eis visum est, dividerunt, me non solum non connivente, sed et nesciente, quid fecerint. Cedat jam, si placet, manifestæ indignatio veritati...

351. « Nam quod item comperi displicuisse me in multis scriptationibus meis, hoc me jam metuere non oportebit: quoniam facile emendabo. Scio, scio, præsumpsi plusquam oportuit, parum attendens, quis cui scriptitare præsumerem... Dabo, si potero, zelo meo de cætero temperamentum, scientiam; et ponam digitum meum super os meum. Tolerabilius enim offendam aliquos amicorum, quam multis precibus defatigem christum Domini. Et nunc quoque non sum ausus scribere vobis de imminentibus Ecclesiæ periculis, et gravi schismate, quod timeamus, ac plurimis, quæ sustinemus, incommodis. Scripsi autem sanctis episcopis vestro lateri adherentibus: ab ipsis audire poteritis, si scire placuerit, quæ scripserim ego. » Juvat his coronidis loco attexere verba Baronii ad annum 1143, num. 5, quæ epistolæ superiori a se recitata sic subdit: « Accidit plane secundum illud Sapientis (Eccle. vii): *Calumnia conturbat sapientem*, ut S. Bernardus ob calumniatores apud Innocentium papam æstimatione minuere-tur, adeoque ut tot tantisque exhibitis per eundem sanctum officiis et beneficiis oblivioni traditis, jam nulla eorum habita ratione, exciderit ipse e gratia ejus. An autem acceptis his ab eo litteris Innocentius æquiori erga eum animo fuerit, haud nobis compertum habetur. At si in terra ista aruerunt sata Bernardi, flante vento urente: certe alibi quidem collegit ad vitam æternam, quæ non humano, sed divino intuitu ab eo sunt jactata semina in terram viventium. Sic discant homines non sperare in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. » Hæc tam vere quam graviter Baronius occasione hujus epistolæ, quæ, sicut superius indicabam, ultima fuit quam sanctus doctor ad Innocentium papam II, scripsit, nunc defensor in tam justa ac propria causa, qui antea fuerat toties in aliena. Et pontifex quidem ille eodem anno 1143 e vita excessit die 24 Septembris; cui Cælestinus hujus nominis II, postero die suffectus est: hujus



breve fuit regimen; de illius vero mortis causa vide Baronium ac Manricum.

§ XXXIII. *Ordo Cisterciensis a sancto abbate in Suecia propagatus; prodigium, et vaticinium; discordiæ in Gallia ab eo compositæ; honoratur a patriarcha Hierosolymitano.*

352. Chronographus Cisterciensis ad annum antea indicatum cap. 7, inter cœnobiorum propagationem, de qua ibi tractat, occasione Novævallis inchoatæ in regno Sueciæ, ac in diœcesi Lincopensi, tria mira memorat de sancto Patre: quorum alterum est prodigium, in confirmationem fratrum eo mittendorum; alterum vero est vaticinium, quo cuidam fratri prænuntiavit locum mortis; tertium est positum in modo, quo illud vaticinium impletum fuit. En tibi primum ex auctore Exordii magni apud Tissierium distinctione 4, cap. 28: « Volens, ait, idem venerabilis Pater in populis aquilonarium partium, sicut et in cæteris gentibus, aliquem fructum habere, petente religiosa femina regina Sueciæ, conventum fratrum ad partes illas direxit. Cumque monachi et conversi, qui ad hoc denominati fuerant, ut hominibus rudibus et indomitis formam religionis et disciplinæ traderent, nimio mœrore consternati, precibus, quibus valebant, agerent, ne tanti Patris præsentia carituri, ad exterarum et barbararum mitterentur regiones; sanctus abbas respondit: Ut quid irrationabilibus fletibus et precibus affligitis animam meam? Aut nunquid voluntatem meam, et non potius voluntatem Dei, cui omnes obtemperare debemus, sequor in hoc negotio?

353. « Erant autem coram eo posita vestimenta, et vasa sacra, cæteraque utensilia ad ministerium divini officii pertinentia, quæ iidem fratres, qui mittendi erant, secum ferre debebant. Volens itaque certos eos reddere quoniam a Domino egressus esset sermo, elevavit pelvim quæ ad recipiendam aquam sacerdotis manibus fundendam deputata erat, et digitum fundo ejus imprimens, dixit: Ecce hoc vobis erit signum, quod Spiritus Domini miserit vos. Mirum in modum rigor et inflexibilitas æris teneritudini digiti ejus cedere visa est; adeo ut cujus quantitatis sacer articulus fuerit, usque hodie liquido valeat dignosci. Quantum autem intus cessisse, tantum foris æqualitatem excessisse videtur. In testimonium enim tanti miraculi eadem pelvis in secretario domus, quam tunc Pater sanctus ordinavit, summa cum reverentia servatur. Porro prædicti fratres videntes perspicuam divinæ gratiæ præsentiam adesse, stimulos edacis tristitiæ reprimentes, gavisii sunt; et licet remotissimas, et in ultimo climate aquilonaris brumæ abstrusas nationes, non sine quodam horrore spiritus adire possent, tamen eandem gratiam Dei, meritis et precibus sancti Patris nostri intervenientibus, se comitaturam pia confidentia præsumebant. » Sic ibi de miraculo; de insigni autem S. Bernardi vaticinio auctor idem hæc statim subjicit:

354. « Erat vero inter cæteros adolescens qui-

dam honestæ indolis, et columbinæ simplicitatis Gerardus nomine, oriundus de provincia Germaniæ secundæ, civitate Trajecto: qui impatientius aliis dolens, cum lacrymis dixit ad virum Dei: « Beatissime Pater, ego miserabilis juvenculus, relicta domo paterna, spretisque omnibus, quæ mihi in hoc sæculo desiderabilia et amabilia esse poterant, religionis amore paternitatem tuam adii, sperans me tua dulcissima præsentia debere frui, tuis doctrinis et exemplis informari, tuis meritis et precibus adjuvari, subque sanctæ hujus multitudinis umbraculo a turbine tentationum, et ab æstu juvenilium desideriorum tutari: quodque votis omnibus exopto, inter sacra corpora fratrum nostrorum in hoc cœmeterio quiescentium, diem exspectare novissimum. Et, ecce, ejicis me hodie a facie tua, sanctique hujus collegii consortium perdo, et insuper desiderata mihi sepultura privabor, hinc prorsus, hinc vehementer doleo: quia cor meum conturbatum est in me.

355. « Compassus adolescenti vir beatus, afflictam mœrore animam ejus affatu blando mulcere curavit, et quæ post annos quinquaginta futura erant, spiritu prophetico prævidens, et prædicens, ait ad eum: Vade, fili charissime, quo te Spiritus sanctus mittere dignatur, et in agro Dominico tanquam strenuus operator labora. Ego tibi in nomine Domini polliceor, et securum te facio, quia, sicut desideras, in Claravalle morieris, et cœlestis Sponsi gloriosum adventum una nobiscum præstolaberis. Hanc ergo tam lætam pii Patris sponsionem frater ille velut arrham desiderii sui suscipiens, gavisus est valde, sciens utique nec falli posse, nec fallere velle hominem, quem sapientiæ et veritatis sectarium esse, manifesta signorum et prodigiorum declarabant indicia. Ivit itaque, et in domo, quam cum cæteris fratribus initiare mittebatur, prioris et celerarii administratione strenue percurrens, divina largiente gratia, nomen pariter et officium abbatis sortitus est: cujus dignitatis apicem licet invitus conscenderet, malens in humili loco salvari, quam in sublimi periclitari, susceptum tamen religiosissimæ conversationis nitore decoravit. » Hactenus laudatus Exordii magni auctor de vaticinio, quod prædixerat sanctus Pater Gerardo, cujus virtutibus enarratis, quas etiam vide in Annalibus Cisterciensibus tom. II, ad an. 1158, cap. 10, pergite referre, quo pacto prædictio ista deinde impleta sit. Sic quippe prosequitur de Gerardo abbate:

356. « Cum autem jam senuisset, et usque ad decrepita ætatem pervenisset, quadragesimum in prælatione complens annum, variis quoque infirmitatibus corpus ejus quateretur; cœperunt eum fratres rogare, quatenus, sicut communiter multo tempore cum eis vixerat, ita etiam sepulturæ locum apud ipsos sortiri dignaretur. Quibus vir Domini respondit: « Ne, quæso, ita loquamini, filii mei. Oportet modis omnibus, ut in Claravalle moriar: et secundum sponsionem Deo dilecti Patris mei, cum

sanctis, qui ibi pausant, in pace in idipsum dormiam et requiescam. Causantibus illis et dicentibus: Quomodo te, pater, illuc reducere poterimus, cum præter veteranæ senectutis incommoda, tot et tantis infirmitatibus quassatus et debilitatus sis, ut vix ad proximos terminos Danorum spirantem te pervenire posse putemus? cum multa fiducia respondit: Verbum Dei validum et forte, vivum et efficax, quod per os reverendissimi viri auribus meis infusum, penetrabilibus cordis mei arrham bonæ spei hujus, qua feror, indidit, prosperos in hoc itinere successus præstabit: vos tantum, quod præcipio, festinanter implere curate.

357. « Itaque gestatorio inter duos equos composito, in eo collocatur: et non sine grandi miraculo a finibus orbis, per tanta terrarum spatia, per tot maris et fluminum pericula, Claramvallem pervenit: ibique in infirmitario aliquandiu recubans, in bona confessione spiritum exhalavit. Accepit vero desideratæ sepulturæ locum juxta beatæ memoriæ domni Benedicti nani tumbulam, qui eum familiariter in vita sua dilexerat. Cujus decessum cum rex Sueciæ comperisset, cum gemitu protestatus est, regnum et terram suam dignam non fuisse, ut in ea tanti viri sacra ossa requiescere debuissent. » Porro Gerardi obitum innotuit Manricus anno 1190, sicut tomo III Annalium Cisterciensium ad dictum annum cap. 4 datur videre. Jongelinus in Notitia abbatiarum ordinis Cisterciensis lib. VIII, pag. 36, scribens de abbatibus in regno Sueciæ, allegat nonnulla, e quibus superius jam narrata aliquantulum elucidari possint. Etenim, ut de fundatione Novævallis, quam etiam illigat anno 1143, uti facit Manricus, dicit primum ejusdem abbatem D. Gerardum, urbe Trajectensi ad Mosam in Belgio oriundum fuisse: et sic tollitur æquivocatio auctoris Exordii magni, apud quem, dum dicitur oriundus de provincia Germaniæ secundæ, civitate Trajecto, incertum relinquitur an Trajecti ad Rhenum, an Trajecti ad Mosam oriundus sit. Ad hæc, ex iis quæ loco citato præmiserat laudatus Jongelinus de Alvastris sive Alvastra, quam eodem anno 1143 et in eadem diœcesi Lincopensi fundatam, nec non initia sua debere Suerchero inclito Sueciæ regi affirmat, atque ex iis, quæ notat de sepultis in ista abbatia Sueciæ regibus, accedit lux ad illa, quæ de rege Sueciæ innominato referebat Exordium magnum: nam, teste Jongelino, « præter alios hic sepulturam elegit Suercherus Sueciæ rex, qui obiit anno 1150... Item ejus filius Carolus Sueciæ rex, a Canuto Dano occisus, in hoc cœnobio anno 1168, juxta patrem sepelitur... Suercherus rex, cæsus in bello Danico, obiit 1208, alias 1210, » etc. Ad hunc itaque regem videtur referri illud de Gerardo dictum: *Cujus decessum cum rex Sueciæ comperisset*, etc., in sententia Jongelini per superiorem seriem expressa. Regum porro Sueciæ ordinem exhibet noster Ricciolius tomo III suæ Chronologiæ reformatæ catalogo 41, in quo signatur Suercherus II, Caroli VII filius 1192.

358. Rerum itaque a S. Bernardo gestarum collectione ad annum Christi 1143, a nobis perducta, proxime sequens 1144, serenam nobis aperit auram post sedatam opera viri sancti tempestatem gravissimam discordiarum inter regem Ludovicum et comitem Theobaldum, quam tantisper interrupimus, Petri cathedram tenente Lucio hujus nominis II. Manricus ad hunc annum cap. 4, sub isto pontifice rem hanc e pseudo-Roberto de Monte in Appendice ad Chronicon Sigeberti hoc anno peractam sic narrat: « Mediante abbate Clarævallis, simultas, quæ inter regem Ludovicum et comitem Theobaldum incanduerat, sopitur. » Cui eventui fortunatissimo apprime convenit illud, quod idem Manricus subjungit, epiphonema: « Digna Bernardo mediatore pax, et quam summe exoptant quicumque boni. » Quo autem modo res illæ acciderint, memoriæ providere duo Vitæ S. Bernardi scriptores. Ac primo quidem relatu dignissimum est, quam piis ac sanctis monitis vir Dei Theobaldum erudierit ad constantes magnosque animos in tot et tam duris adversæ fortunæ casibus. Diffuse ac pathetice ea describit. Ernaldus lib. II, cap. 6, quo, ne longior de his excurrat oratio, lectorem mittimus.

359. Ex his intelligitur, tragicam istam et sanguinolentam inter duos hosce principes controversiam a sacro nostro pacificatore feliciter quidem fuisse compositam; sed addendum eodem est, ita fuisse compositam, ut in spem contra spem omnem erectus, et spiritu actus prophetico, optatissimæ enimvero sed vix expectatæ rei successum prænuntiaverit. Legatur Gaufridus in libro IV Vitæ S. Bernardi cap. 2, numer. 198. Quanquam autem non adjungat, quibus conditionibus, et quo fructu pax illa sancita fuerit; fructus tamen uberrius inde consecutus est, hunc referente Annalium Cisterciensium scriptore num. 7. « Pacta conventa, ait, siluere antiqui auctores, contenti initæ pacis relatione. Quam tamen adeo firmam inconcussamque constat permansisse, ut Ludovicus, post divortium cum Eleonora, Guillelmi ducis Aquitanie filia, ut consanguinitatis sibi fœdere juncta, nec dispensata; et post Constantiam, Alfonsi VIII, Castellæ regis filiam, ex partu vita functam, integro nondum matrimonii anno peracto, Adelam Theobaldi filiam duxerit, ex qua Philippus, cognomento Augustus, natus, qui successit in regno, avum et patrem arctius devincturus. » Talis ergo fuit gravissimæ hujus dissensionis exitus, Theobaldo quidem utilis et honorificus, Bernardo autem gloriosus.

360. Sanctus Pater in veneratione etiam fuit patriarchæ Hierosolymitano, prout suadet e fragmento crucis Domini, ab hoc ad illum Hierosolymis transmissio; de quo laudatus Annalista ad ann. 1144, cap. 4, et ea occasione, quod « hoc ipso, ait, anno ejusdem salutiferi ligni intervenit semel et iterum salus impetrata religiosiores fideles effecisset. » Ad isis Baronium ad eundem annum 1144. Extat Bernardi epistola ordine 175, in qua istius



Patriarchæ litteris præventus, sacroque illo pignore donatus, memorem pro utroque isto honore ac gratum se exhibet. Sed epistola illa multum ablutit ab anno 1144, quæ circa ann. 1135, data notatur in editione Mabillonii. Patriarcha vero iste est Willelmus Gallo-Belga, sicut dicitur ibidem in notis, ex eremita Turonensi patriarcha Jerosolymitanus ab anno 1130 ad annum 1145. Plura de illo patriarcha in eisdem notis sequuntur.

§ XXXIV. *Arnaldus Brixianus hæreticus; impletum S. Bernardi vaticinium præsertim tempore Eugenii PP. III, ejus electio, et elogium; Bernardi ad ipsum litteræ.*

361. Superius in fine paragraphi 29 de isto furioso nebulone nonnulla breviter sunt præmissa: cujus effrenatam rabiem adversus omnem passim ordinem ecclesiasticum S. Bernardus prænuñtiarat, prout ibidem observatum est occasione Petri Abælardi; id quod revera maxime patuit, fuisse impletum sub Pontificatu Eugenii papæ III, ex ordine Cisterciensi ad Petri cathedram anno 1145, evecti. Imaginem itaque Arnaldi Brixiani citato paragrapho promissam, atque huc transmissam vivis coloribus depingamus ex Ottone. Frisingensi lib. II De gestis Friderici I imperatoris cap. 21, col. 719, editionis novissimæ Mediolanensis, tomo VI inter rerum Italicarum scriptores: « Arnoldus, ait, quidam Brixianus, de quo supra dictum est sub typo religionis, et, ut evangelicis verbis utar, sub ovina pelle lupum gerens, Urbem ingressus, ad factionem istam rudis populi, nimirum Romani pro senatu contra pontificem stantis, anæis præmolli dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit, imo seduxit multitudinem. Arnaldus iste ex Italia civitate Brixia oriundus, ejusdemque ecclesiæ clericus, ac tantum lector ordinatus, Petrum Abælardum olim præceptorem habuerat: vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio quam sententiarum pondere copiosus: singularitatis amator, novitatis cupidus: cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreses, schismatumque perturbationes sunt prona.

« Is a studio a Gallis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parens; clericorum ac episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse. Cuncta hæc principis esse, a ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de sacramento altaris, baptismo parvulorum non sane dieitur sensit. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiansem Ecclesiam perturbaret, laicisque terræ illius, prurientes erga clerum aures habentibus, ecclesiasticas majestose exponeret paginas, [al. personas] in magno concilio Romæ (anno 1139) sub Innocentio habi-

to, ab episcopo civitatis illius, virisque religionis accusatur. Romanus ergo pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit; sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad transalpina se contulit, ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit.

362. « Comperita vero morte Innocentii, circa principia pontificatus Eugenii Urbem ingressus, cum eam contra Pontificem suum in seditionem excitatam invenisset..., amplius eam in seditionem excitavit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex senatus maturitatis consulto, et ex juvenum animorum fortitudinis ordine et integritate totum orbem terræ suum fecerint. Quare re-ædificandum Capitolium, renovandam dignitatem senatoriam, reformandum equestrem ordinem docuit. Nihil in dispositione Urbis ad Romanum spectare pontificem; sufficere sibi ecclesiasticum judicium debere. In tantum vero hujus venenosæ doctrinæ cœpit invalescere malum, ut non solum nobilem Romanorum, seu cardinalium diruerentur domus, et splendida palatia; verum etiam de Cardinalibus reverendæ personæ, inhoneste sauciatis quibusdam, a furenti plebe tractarentur. Hæc et his similia, cum multis diebus, id est, a morte Cœlestini, usque ad hæc ab eo incessanter et irreverenter agerentur tempora, cumque sententia pastorum juste in eum et canonicæ prolata, ejus judicio tanquam omnino auctoritatis vacua contemnerentur; tandem in manus quorundam incidens, in Tusciæ finibus captus, principis examini reservatus est, et ad ultimum a præfecto urbis ligno adaectus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne a stolidâ plebe corpus ejus venerationi haberetur in Tiberim sparsus. » Habes hic lector, Arnaldi Brixiani imaginem genuinis coloribus depictam: ut verè et apposite prædixerit Bernardus, pessima ac seditiosa ejus molimina quasi e specula prævidens, ac paucis multa complectens, dum in epistola sua ordine 195, illa de eo usurpavit: « Videbitis hominem aperte insurgere in clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos episcopos, et in omnem passim ecclesiasticum ordinem desævire. »

363. Enimvero turbulenti illius Arnaldistarum factionis occasione obiit Lucius papa II, qui Cœlestino II proxime successerat, rem illam pluribus exponente Baronio ad ann. 1145, in principio. Eadem autem occasio, quæ Lucium e medio sustulit, sine mora in defuncti locum extulit novum successorem. « Non vacavit sedes, » sicut ibidem pergit Baronius, « sed repente (ut ait S. Bernardus in epistola 237 editionis Mabillonianæ) ob periculum imminens fuit successor electus. Etenim post obitum Lucii, ob tumultuantes Romanos Arnaldistas, convenerunt unanimes cardinales metuentes in ecclesiam monasterii sancti Cæsarii, illicque Dei nutu, haud de-

gremio ex more aliquem eligendum putarunt ex cardinalibus in Romanum pontificem: sed convertentes oculos in abbatem monasterii S. Anastasii Triumfontium, ordinis Cisterciensis, eidem haud pridem sub Innocentio papa II, a S. Bernardo præfectum, Bernardum itidem nominatum, patria Pisanum, virum probitate insignem, et prudentiam in negotiis obeundis locupletem, tempore perditissimo, quo hujuscemodi bello civili Urbs flagraret, putarunt fore aptissimum: quem cum sagacissimum fuissent experti, pari consensu summa concordia elegerunt. » Annalium Cisterciensium scriptor cap. I, num. 4: « Industriæ viri delatum, ac sanctitati, in dubio est. Baronius raro incertos auctores sequens, ad utramque respectum haud dubie tradit: cæteri solam sanctimoniam hominis, alias simplicis, et ad negotia gerenda minus apti, sinon unctione magistra edoceret. » Hæc ille. Verba Baronii jam statim protulimus.

364. « Cæterum alii, inquit idem Manricus n. 5, industriam viri enervant, et soli sanctitati cuncta aseribunt. » Inter alios vero, qui ibidem allegantur, cita de illo loquitur S. Antoninus part. II, título 17, cap. 1, § 7: « Hunc, cum antea simplex esset, Deus mirabili gratia perfudit et elegantia. » Sed Manricus utramque, naturæ videlicet et gratiæ, prærogativam ei tribuens, « Crediderim, ait eodem n. 5, hominis alias industriæ prudentisque columbinum candorem præcelluisse, nec se voluisse extendere ultra monachum, dum intra ejus professionis fines continebatur: Pontificem relaxasse habenas propriæ industriæ, quæ nihilominus divinitus afflata, etiam ultra mortalem prævolaverit: quod multa ejus gesta testificantur. » De consecratione laudati pontificis scribit Baronius modo citatus. Animadversione præterea dignum censeo Manricus num. 7, quod Baronius omisit, et auctor Chronicæ Belgicæ, cujus locum et verba dat, adnotavit: « cum aliqui Cardinales forte quia electum constantiorem quam optassent experiebantur, ejus vellent infringere electionem, sanctum virum nec eecidisse animo, nec sese facile illis concessisse: quin anathemate indicto in novatores, restitisse viriliter, ac irritos conatus evacuasse... Sic, qui electoribus antea vix acquieverat, refragantibus obstitit; et ut nequaquam eligi ambivit, sic neque electus deponi passus est, humilis æque ac constans, neque minus a pusillanimitate recedens, quam a superbia. » Hæc plusculum de dignissimo Christi vicario deducere placuit, quia discipulus, quia amicus, quia filius Bernardi fuit, atque adeo gloria etiam exstitit sanctissimi Patris: qui libros de consideratione eidem inscripsit. Ejusdem tum abbatis epistolam ad Bernardum habes apud Mabillonium ordine 344; item ipsius jam Papæ aliam, epistolæ 273 Bernardinæ præmissam.

365. At quid dicam de Bernardi ad eum litteris quas plane aureas vocat Baronius ad annum 1145 num. 4, atque Annalibus suis ibidem num. 5 et

seqq. integras inseruit? Nonnulla ex iis in usum meum convertam, postquam præmisero sequentem de eisdem notitiam ex historico Cisterciensi cap. 2. Efferata Arnaldistarum rabies quotidie gliscens, et ingruentia negotia Urbis et orbis detinuerunt pontificem, quo minus suo olim Patri, sed jam tunc filio, et semper amantissimo Bernardo mutationem in se, et de se factam renuntiaret per litteras, ut secum aut doleret, aut gratias ageret. At Pater sanctus, qui filii principatum, dudum vulgante fama, rebellionem in ipsum nondum noverat, cum sustinisset desideratum nuntium, litterasve, quibus Bernardum mutatum in Eugenium..., et se filium vocari gratanter legeret, et alios Cantuariensis archiepiscopi adversus Eboracensem litigantis (contra quem etiam pro Henrico Murdaciensi discipulo Bernardi adhuc stabat) precibus urgeretur; rupit tandem silentium ipse prior, novum Pontificem laudata superius epistola compellans, quæ apud Mabillonium est ordine 238. En tibi quædam ejusdem fragmenta.

366. Tantum itaque sibi filium, imo jam patrem gratulatur, de ejusque gubernatione omnia undequaque fortunatissima exspectat: « Quia, inquit, semel cœpi, loquar ad dominum meum. Jam enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater mutatus est in filium. Qui post me venit, ante me factus est: sed non invidio: quia quod mihi deerat, in eo me habere confido, qui non solum post me, sed etiam per me venit. Nam si dignaris, quodammodo per Evangelium ego te genui. Quæ est ergo spes nostra, et gaudium nostrum, et corona gloriæ? Nonne vos ante Deum? Denique filius sapiens gloria est patris. Amodo tamen non vocaberis filius; sed vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, et multi in mutatione ista gaudebunt. Nam quemadmodum olim Abram in Abraham, Jacob in Israel; et, ut de tuis magis prædecessoribus tibi proponam, sicut Simon in Cepham, Saulus in Paulum: sic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, læta prorsus et utili, ut speramus, translatione promotus est. Digitus Dei est iste, suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. »

367. Nec vero S. Bernardus adeo omnem, quam in filium quondam suum habuerat, auctoritatem exuerat, ut, dum ad ipsum hasce daret litteras, præclara quædam monita non adjungeret libere ac paterne gratulationibus suis: nam ita continuo prosequitur: « Superest, ut facta hac mutatione tui, ipsa quoque, quæ tibi commissa est, Domini tui sponsa mutetur in melius, et jam nequaquam Sarai, sed Sara de cætero nominetur. Intellige, quæ dico: dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed principem, nil tuum in ea